UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iacobi Bidermani E Societate Iesv Vbaldinus Sive De Vita & Indole Antonii Mariæ Vbaldini Vrbinatis, Monteæ Comitis, Breviarivm

Bidermann, Jakob

Fribvrgi Brisgoiae, 1663

Colloquendi materia. 37

urn:nbn:de:hbz:466:1-44891

Visual Library

diuinorum, qua de diximus, cō-
mentatio : quæ vtraque cùm ſe-
mel animi ſinus omnes imple-
uit, exæſtuans opportunè, in lin-
guam & verba ebullit. Ea de
cauſa contubernij ſui præfecto,
aut cum eo Patre, cui explicare
conſcientiæ arcana ſueuerat,
multus illi ſermo quotidie : íſq;
talis, qui ſemper oſtenderet, eius
ſenſa nihil humile, mortaléque
ſpirare.

XXXVII. Colloquendi materia.

NAm omnis eius oratio, non
de alio fere argumento e-
rat, atque de hominum praua
ingratáque indole, qui tot Dei
beneficia, obliuione tam alta
tranſmitterent; Tum de via, &
ratione, qua improbi reduci ad
frugem breuiſſimè poſſent. Inde
de fructu, quem vberem è labo-

re ſuo vel apud Indos, in barbarîs ad Chriſtum adducendis, vel apud ſeptemtriones, in hæreticis ad viam reducendis Societas caperet. Porrò de armis aduerſus Orci impreſſiones vtendis; déque compendijs ad virtutem conſectandam idoneis. Atque hiſce de rebus, tanto cum ſenſu diſſerebat, vt appareret, earum ipſum ingentibus deſiderijs ardere. Quapropter vbi talium copia per alios non dabatur, ſubducebat de circulo ſeſe;& inclusus, aræ familiaris ornamenta, aut ſacrarum imaginum formas tantiſper concinnabat, quoad dato ſigno, cum ſocijs ad litterarum ſtudia reuocaretur. De profanis autem, vtcumque forent narratu, vel auditu iucunda, ſerere ſermones nunquam
est

eſt dignatus; niſi quà in eorum contentum diſputaret; tum enim, vt vidimus, eloquentia nulli concedebat. Nouarum denique impatiens, ne auditor quidem eſſe ſuſtinuit: quòd facere iacturam temporis, in auſcultanda re nihili, & ſæpius ex vano hauſta, quàm veri comperta, ſapienter detrectaret.

XXXVIII. *Affectus erga Beatã Virginem.*

HAud nullum hic operæ meæ precium fecero, ſi paucis exſequar, quem in venerandis cælitibus modum ordinémq; Antonius ſeruarit. Nam quorum imitari facinora cogitabat, eorum ſibi memoriam cenſuit nõ eſſe perfunctorie celebrandam. Primas ibi partes, & ſecundùm